AD QVODLIBETARIAM,

QVÆSTIO MEDICA,

MATVTINIS DISPVTATIONIBVS AGITANDA IN SCHOLIS MEDICORVM, Die Iouis XVIII. Ianuarij,

M. CAROLO BOVVART,

DOCTORE MEDICO, MODERATORE.

An Febribus Malignis Specifica?

MALIGNITAS in putredine, ex qua contumaciore aut inexpugnabili ſignis ſtipati quàm pro more deterioribus morbi, dicuntur maligni: Malignum id, aliàs divinum, nec formale, nec formalibus oppugnandum: Malignitatis & putredinis differentiæ ſecundum magis & minùs (nec ob id ſpecie mutatâ) ſimpliciter & ſuperlativè malignæ & maligniſſimæ, vulgaris & conſummatæ conſtituendæ, quarum vt in cæteris, ita in febribus vires longè diverſæ pro putrefacientium cauſarum varietate, diversâ putreſcentium naturâ, agendi modo & conditione, graduum & locorum diſcrimine, peræquè ſunt cognitæ: Putredo mutatio totius ſubſtantiæ ab externo calore (quâ momento nihil perit) ad totius mixti corruptionem, omnis fit calefaciendo, vnum ergo ſpecie ſoboles cum parente.

ΑΔΙΑΠΝΕΥΣΤΙΑΝ quotquot pariunt occluſiones: motus & commeatus libertatem intercipiunt obſtructiones, calorem peregrinum ſuſcitāt vulgaris authorem putredinis: morboſi cujuſcumque apparatus cauſa cōmunior, Aquæ ſtagnantes, ſemiputridæ fruges, & id genus infecta tabo pabula malignam inducunt: Quæcumque hyemali, autumnali, aut potiùs Auſtrinâ, pluviâ, ſilenti, anni totius, aut particularis cujuſque tempeſtatis accidit conſtitutione, talium in talia mutatione, malignioris eſt condi-

tionis: Quibus si conspersa aëre toto inquinamenta, à strage cadaverum, barathris inferioribus (maleficium à Cælo repetere nefas) perniciem suam adjungant, insolens exitialium parens putredo consurget, cujus nec sensibilia, nec vegetantia, nec ipsa (excepto igne) expertia prima corpora.

MITIORIS intermittentes sunt participes, ni foco interiore materia servetur malè morata aut multiplex: Gravioris continuæ; hemitritæus duplicis succi malitiâ, tritæophyæs crassioris vnius vitio, vitam miserè convellunt; quia tamen remotiùs à corde, ardentium cedunt vehementiæ: Continentes interna cacochymia toto plerumque fusa corpore capitaliores; quarum delirio, vigiliis, mentis, sensuum & motus stupori, parotides nunquam διόρκυσι; nec obscuro pulsui, deliquiis, Apositiæ, alvo & vesicæ siccioribus vnquam tempestiva exanthemata: Purpuratis, livida, nigra, quæque lata, copiosa statim obliterantur, funestiora: Contraria in variolis & morbillis puerorum salutaria: Si humoribus comes ab aëre contagio, pestiferæ cum colliquatione febres prodeunt: sin spiritibus, verè pestilentes, blandi quoque caloris suavitate, vrinarum bonitate, pulsuumque moderatione incautos tollunt, & numeros omnes implent crudelissimę pestis & putredinis malignissimę.

FEBRIS intentione prima, suis causis curatione est posterior: quocumque loco totius aut partium, excretionis noxiorum & attractionis necessariorum motus impeditur, seu à copia, lentis, crassis, densis, strictis, fuliginum suppressione contraria cuique debeantur, seu corruptum exinde ne sincerum trahat, omni vacuantium genere sit tollendum, seu quod putrescit, ventilandum, siccandum, coquendum, seu febris restinguenda, phlebotomia fert omne punctum: natura opportunè sanguine leuata aperit, attenuat, coquit, excernit, & sola penè reliqua perficit: hanc sola virium imbecillitas dissuadet, consumptis, potu, aëre firmanda, solidis nullis, quorum nulla ruina: Quantitatem, virium modus; qualitatem, affectus & temperies; tempus, status, accessiones, consuetudo, sed optimè partes obsitæ putredine simulque curationis modos definiunt: ventriculo, hepati, parcissimus victus, omni tempore roborantia, inferna vacuatio: thoracicis vberior, vbique relaxantia, anacatharsis.

PERSTANT diutius aut acrius instant veneni contagia? non aliæ artes, sectis, nullâ morâ venis euocanda: flammeis cucurbitulis exugenda exigenda: alexipharmacis omnis generis tollenda, alteranda citis, tutis, efficacibus: Cathartica quæque validiora, metallica, hîc deleteria: leuiora irrita: præsentiora diaphoretica, coquentia, spiritus restaurantia, roborantia, tergentia, ecphractica, præ cæteris refrigerantia & exsiccantia, Antidotus de viperis, de ouo, alKermes, plerumque noxia: monoceros, lapis bezaar, bolus armena, lemnia, vniones, plerumque vana: formali antipathiâ aut sympathiâ, quæ actu, sine organis, immutabilia, vna,

vnum, ſemper, ſumpta vel admota amandent aut emendent, nulla ſunt: Amuleta, arſenicum, anilia figmenta: cauſarum, morborum & partium cognitio, eſt alimentorum & medicamentorum omnium inuentio: quæ aut notis qualitatibus, aut ſubſtantiâ totâ, id eſt ἰδιοσυγκρασίᾳ non incognitâ, agere & pati, ratione & experientiâ explorantur, cæca cæcæ plebeculæ relinquimus vt aliena.

Ergo febribus malignis non ſpecifica.

Proponebat Lutetiæ CLAVDIVS LIENARD Dormanus. Anno R. S. H. M. DC. XVIII.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

M. Iacobus Perreau.	*M. Franciſcus le Sage. M. R.*	*M. Ioannes le Mercier.*
M. Guillelmus Gerbault.	*M. Georgius Cornuti.*	*M. Michaël Toutain.*
M. Ioannes Leſpicier.	*M. Guillelmus du Val. P. R.*	*M. Robertus le Secq.*

cette thèse est dans le recueil in folio des thèses de la faculté tome III p. 571. —